Plurimum Reverende, Clarissime et Doctissime
Vir, D. Patrone pl. Venerande.

Literas quidem ex manu tua multo tempore nullas obtinui; de vale-
tudine tamen tua certior redditus sum non semel, tum per literas ad ami-
cos Lugduno scriptas, tum per relationem nostri non ita pridem inde
excurrentis Veenhusii. Nos D. gr. etiam mediocriter valemus, præter
minimam nostram, graviter satis decumbentem. Deus clementissimus illam
reficiat et nos omnes et singulos conservet! Veenhusius cæteroquin ferè
is est, qui mihi scribendi hanc materiam suppeditat. Jam ille in procinctu
stabat, Lugdunum repetiturus, cum, ecce, Henr. Mettengangius, secundæ
Classis in Gymnasio nostro, vel pædagogeî potius, moderator subitâ morte
abripitur; quo audito mater hujus nostri filium detinet, utque se Senatui com-
mendet ac per amicos commendari curet, mandat. Successit negotium
ex voto, et prælatus est Veenhusius reliquis competitoribus. Innotuit interea D. Bo-
kamo Suelingio, senatori, eique forte recensuit, quo pacto datum ipsi fuerit
in illustri Academia subsistere citra magnum patrimonii, quod tenue erat, dispen-
dium, quodque ipsi inter cætera informatio juvenis cujusdam Nobilis, Dani
ni fallor, fuerit commissa. Hæc Suelingio nostro non surdo narrata sunt.
Habet n. ille filium egregium, Theol. studiosum valde industrium, inque
Humanioribus et Oratoriis præsertim non parum exercitatum, quemque successo-
rem Veenhusii in memorata conditione optat. Detulit rem ad me, obnixeque
contendit, ut Juvenem optime notæ Tuæ Rev.æ, perque eandem Cl. D. Græ-
vio, commendarem, antequam Veenhusius ipsa repetendarum rerum gratiâ
iter capiat. Vides itaque R. D. S. quid sibi velint hæ meæ. D. Veenhusius
propediem venturus coram testimonium perhibebit ei, qui in locum ipsius sufficii
cupit, quale non illibenter, scio, audies. Mihi sat est brevibus commendasse
popularem, qualem te ultrò etiam pro ~~mo~~ motiorem confido, modò ingenium ipsius cono-
verit. Non habeo quod addam, nisi quod D. Hipstetus (tibi dicturum) denuò
suos patiatur manes. Is nimirum melancholiâ hypochondriacâ eò abreptus est,
NB. / ut de semetipso desperet. Putat se hactenus spiritu erroris atque vertiginis agita-
tum, nihilque solidi tradidisse juventuti, ideóque Professione exuendum et ludibrio
habendum. Conflictor cum isthoc misero ferè quotidie, eóque propterea, quod
me delegit, cui enorme illud scelus suum confiteretur. Metuerem magis illius vi-
cem, nisi eum vidissem olim pari modò laborantem. Dum is à dextris me aggre-
ditur, alius exagitat à sinistris, Mag. Nordenholtius, Cognatus, nescio unde. Homo
miser admodum, propterea maximè, quod de se præsumat nimium. Conscripsit is Pro-
dromum Theologiæ, qualem nemo Theologus hactenus meditari ausus, qualis a. decet
hominem mentis nonnunquam impotem. In illa promittit conciliationem omni-
um controversiarum. Illius prodromi me constituit censorem; invenit autem
eum, qui planè mentem authoris non potest capere, cui et stylus, et methodus et
novi termini, et ineptæ definitiones et omnia id genus, quibus scriptum scatet, sordent,
quique institutum præsumtuosi hominis nec approbare, nec de emolumento aut fructu
operis quicquam sperare audet. Verùm hujusmodi hominis ineptias cum non tam fe-
rendo amplius, neque possem quotidie horam vel horas et ipsius vanitatibus et
stultis quæstionibus impendere, hodie eum obnixè rogavi, uti mihi parceret, neque
quotidie bilem moveret. Spero itaque ipsum totum destiturum à me.

Tu verò, Rev. D. Patrone, Vale et cum tota domo tua salve in Domino. Mater, uxor, Affinis, sorores Te tuosq salutant. Scripsi Bremæ $\frac{10^{o}}{20}$ Maji, Aº Ch. 1683.

Rev. et Cl. T.

obsequentissimus

H. Co...

Pl. Reverendo, Clarissimo Doctissimoq Viro, Dno Johanni Leusdeno SS. Th. Doct. et Professori publico longè Celeberrimo, p.t. Rectori Magnifico, D. Patrono meo multis nominibus colendo.

Leidam

Franco ys Amsterdam.